
LAI
IA.
I.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

Decadis III.

EXERCITATIO IV.

De

IUSTITIA UNIVERSALI ET LEGIBUS

Practico-Philosophica.

Pro disputationis exercitio ad sententiarum collationem proposita

In Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Professore Publico

Respondentis partes expediente

DANIELE SEBALDO Wartenbergâ Silesio.

Ad diem 7. Novembris. S. N.

In Acroaterio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta, ANNO 1637.

Miſcellaneorum
Decadis III. Exercitatio IV.

De juſtitiâ universali & legibus.

I.

ARiſtippum Cyrenaicæ ſectæ Philoſophū percontatus Dionyſius Siciliæ Tyrannus, quid præ reliquis hominibus eximium haberent Philoſophi, reſponſum tulit: Vt & abrogatis univerſis legibus honeſtè in ſolidum compoſiteq́; viverent, notante Eraſmo 5. apophtegm. in Ariſtip. §. 8. *Vulgus, vanis plerumq́; occupatum, legum præſcriptis arcetur à peccando, ac ut Poëta loquitur:* Oderunt peccare mali formidine pœnæ. *Sed Philoſopho facem pro legibus miniſtrat ratio: Nec ideò recta agit, quòd leges præceperint, ſed quòd illud ſuapte naturâ rectum eſſe, hoc in ſcelus incumbere, cognoſcat. Quippe boni virtutis amore peccare oderunt. Et Socraticæ libertatis eſt, ſpontè ad bonum ferri, non præceptis cogi. Nihilominus ob vitiatæ naturæ contagiū, quod ab ortu univerſi trahimus, legibus opus eſt, præmia bonis addicentibus, pœnas improbis.* Mos & lex maculoſum edomuit nefas, & culpam pœna premit comes, ait Lyricus l. 4. od. 5. *Priſci cum prævalida & adulta vitia crebreſcere viderent, attentè legibus præcaverunt, ne ultrà malum proſerperet. Ac cavendum ſedulò, ne vel à Deo ſancitæ, vel à majoribus repertæ ſanctæ leges, aut oblivione, aut, quod flagitioſius, contemptu abolitæ, ampliorem peccandi licentiam ſup-*

peditent. Eò ne procedatur, prudenter inter moralia habitus *suppeditatur, ad obædientiam universarum legum disponens, & exercitio omnium virtutum hominem addicens.* Justitia universalis *ille dici solet, de quo Socrates* ap. Xenophontem l. 4. serm: Socr: *justitiam ait esse, legibus præstare obædientiam. Ejus indolem, & ex eo consectanea, honestas leges, quæque ad hoc argumentum attinent, hac diatribe, DEO benedicente, spectabimus.*

2. *Justitiæ universalis videndum est partim* nomen, *partim* res. *Nomen secundum homonymiam, Etymologiam, & Synonymiam.* Homonymia, *& in voce justitiæ, & in universalis, videnda. Justitiæ vox sumitur* 1. Oratoriè *& Historicè interdum, pro officio funebri defunctis exhibito. Sic justa persolvere dicimur, quando mortuis exequias paramus, sic dicta, quòd jure fiant his, qui viventes de nobis benè meruerunt: Interdum pro gratiâ & benignitate. Sic* Terent. Heaut. a. 4. s. 1. *peccavi frater. Nunc hoc te obsecro, quantò tuus animus est natu grandior, sit ignoscentior, ut meæ stultitiæ in justitiâ tuâ sit aliquid præsidii.* 2. Theologicè vel *DEO tribuitur*, vel *hominibus*. Deo *tributa notat* vel *severitatem Dei, quâ peccata punit, quam justitiam vindicatricem dicimus, ut* Rom. 1. v. 32. *Quod contra Photinianos negantes, ut* Socinum d. servat. p. 1. c. 1. Ostorod. c. Tradel. p. 3. c. 1. p. 212. Smalcium. c. D. Frantz. d. 4. t. 25. *& consentientē his* Westhemerum l. de Tropis in f. litteris. p. 184. *latiùs probant Theologi:* vel *universalem in Deo rectitudinem & bonitatem malitiæ oppositam*, Psal. 11. v. 8. Psal. 36. v. 6. vel *fidelitatem in promittendo & servando.* 1. Joh. 1. v. 9. Psal. 36. v. 11. vel *benignitatem Dei.* Rom. 3. v. 20. 1. Joh. 1. v. 9. 1. Sam. 12. v. 7. *vel simile quid.* Hominibus *tributa notat* vel *perfectam totius legis obædientiam,* Matt. 5. v. 20. vel *justi-*

sti-

stitiam, quâ coram Deo per Christum â peccatis absolvimur. Rom. 5. v. 17. vel *studium bonorum operum,* Matt. 6. v. 1. Rom. 6. v. 13. Jacob. 1. v. 20. Esa. 64. v. 6. vel *externam justitiæ disciplinam.* Philip. 3. v. 6. 9. Vel *præmium justitiæ. Quomodo* Flacius Gen. 30 v. 33. *accipit, Respondebit mihi justitia mea, i. e. præmium justitiæ debitum.*

3. 3. Philosophicè vel *Tropicè* vel *propriè sumitur.* Tropicè *vel* 1. metaphoricè, *quomodo simulachra & umbras justitiæ in brutis repertas justitiam dicimus. Sic* Aelianus l. 2. hist. an. c. 8. *Delphinos vocat justos, quod æquè piscium capturam partiantur, & leones* l. 5. c. 39. *Hæc justitia idolum & umbra justitiæ est, quomodo umbras virtutum in brutis cõcessimus* d. 2. c. 5. *Quomodo & prædones justè partiri inter se prædam dicimus, ubi tamen in deprædatione magna est injustitia: & nimiũ rigorem in rebus servandis justitiam vocamus, ut cum dicitur, summa justitia summa injuria. Vel* 2. Metonymicè, *sumendo signum pro signato, quomodo libros de justitiâ & jure agere dicimus, cum in libris propriè sint descriptiones & signa rerum signatarun, per voces significatarum. Quomodo Logicam descriptam in systemate signum cognitionis habitualis in mente Logici detentæ vocamus, & Ethicum systema signum repræsentativum habitus moralis in animo Ethici fundati est. Homo propriè denominatur Ethicus & Logicus ex habitu mentis: Systema & liber impropriè & signotenùs. Vel* 3. Synechdochicè, *cum justitiam dicimus, quod particula aliqua ejus est. Vt cum ob honestè quædam gesta barbaros interdum justos dicimus, cum habitu justitiæ careant. Sic Arios Scythas justissimos Barbarorum vocat* Curtius lib. 7. c. 6. Propriè *pro habitu animi ad justa volenda agendaq́, inclinante. Et hoc* vel generaliter, *quo ad quævis honesta incitamur agenda, quomodo justitia in sese virtutes continet omnes,*

mnes, ita hic accipitur: vel particulariter, *quo in bonis externis ad suum cuiq; justè tribuendū disponimur, ut cum justitia cōmutativa, distributiva, dici solet. Sic cum David se secundum justitiam suam in certo casu judicari petit.* Psal. 7. v. 9. & 17. v. 1. *Priori modo hîc accipitur: posteriori* d. 8. *tradetur.* Vox universalis *notat interdum aliquid multis commune, de quibus dici potest, quomodo prædicabilia dicuntur universalia: interdum aliquid universaliter in omnia agens & influens, quomodo DEus & Sol causæ universales dicuntur: Interdum universalem Medicinam, omnes morbos tollentem & sanitatem asservantem, quomodo Chymistis Vniversale dicitur: interdum aliquid ad multa se extendens, quæ velut ordinat & componit, Ita justitia universalis dicitur,* partim *ratione essentiæ, quæ tàm latè funditur, quàm ipsa virtus, quomodo dicitur: Iustitia in sese virtutis continet omnes:* partim *ratione officij & efficaciæ, quia omnes virtutes particulares ad finem suum, publicum & commune bonum, referre docet. Non autem dicitur Iustitia universa virtus* vel genere, *quasi omnis virtutis genus esset:* vel speie, *quasi omnes virtutes ejusdem speciei essent, cum objecta & actus specie diversos habeant:* Vel numero, *q. omnes virtutes unæ numero essent, cum n. specie differant, multo magis numero different: Sed* aggregatione conflatâ *ex partibus diversarum specierum inter se connexis, & in certum respectum ordinatis, ubi quælibet pars essentiam sibi propriam retinet, & ordinando ad aliud magis ad huc perficitur. Quod justitiam Vniversalem facere ex th. 7 patebit.*

4. Etymologia *vocis justitiæ Logica nulla, quia vox ultimatè abstracta quæ reliquis, ut justo, juri, denominationem dat, non aliundè ut à priore formâ denominationem habet. Logicè enim loquendo id prius in significandi ratione est, quod abstractissimè significat, tanquam ultimatè abstractum,*

ut

ut nullum abstractius in suo genere tanquam formam agnoscat, unde denominationem sortiri queat. In hoc enim primã denominandi rationem invenit Logicus, & ad aliquod prius & superius ascendere nequit. Ita omnia accidentia & abstracta Metaphysica *sunt ultimatè abstracta, & proinde primæ formæ denominantes, à quibus cætera, ut derivata, secundum rem denominantur. Ita justitia tanquam ultimò abstractum denominationem dat & subjecto denominato, ut homini justo, & effecto, ut juri, quod velut à justitiâ procedit, tanquam lex, aut ars, ut ICti appellant, æqui & boni.* Grammatica & Juridica *est à justo, & hoc à jure, quod ut paucioribus syllabis constans pro primitivo assumitur, justitia ut polysyllabum pro derivativo. Sed secundum rem & Logicam denominationem, quæ res & significata vocum, non syllabas, attendit, hæc invertenda sunt. Et sic negant Philosophi contra ICtos, ut* Wesenbecium & alios, *justitiam à jure etiam Logicè & realiter derivari.* V. D. J. Mart. l. 2. Eth. c. 15. *Et ipse* Vlpianus *contrarium agnoscit* l. 1. prin. ff. de just. & ju. *Quem sequuntur* Treutlerus d. 1. t. 1. Hunnius in Treut. Vol. 1. d. 1. q. 1. *aliiq́.* Allusiva & apparens *etymologia est* vel *à voce juxta, secundum quosdam, quod justitia juxta regulam incedat*; V. Flacium in clau. *Voc. justitia*: Vel *q. juris statio, ut* Isiodorus *vult*: vel *per transpositionem literarum à visistendo, quòd vim sistat, ut alii volunt*: Vel *à jus sistendo, quod in eâ jus & rectum sistatur, ut vult Hotomannus*: Vocis universalis *derivatio Logica est ab universalitate, quæ quomodo hic intelligenda, ante dictum*: Grammatica *ab universo, quod universum virtutum numerum compræhendat.* Synonymia *est, quâ dicitur etiam justitia legalis, quòd quæ à lege præcipiuntur, ad commune civitatis bonum referre doceat: legitima, quòd circa legitima à legibus instituta versetur: perfe-*

cta maximè ap. Ariſtot. 5. Nicom. c. 3. *quòd non ſolùm proprium poſſeſſorem internè perficiat, ſed & bonum ſuum ad alium & communem Reipubl. ſtatum transferat, & in Publico officio omnia rectè ordinare doceat, ne oblatis occaſionibus homo ad vitia declinet: Obœdientia univerſalis, quòd omnibus legibus honeſtis hominem obædire faciat. Periphraſticè Lucifero & Heſpero ſplendidior* ap. Ariſtot. c. l. & 4. Eudem. c. 5. *ob eminentiam naturæ ſuæ: bonum divinum & appetendum ob inſignem utilitatem: Platoni anchora & fulcrum civitatis, &c. Interdum æquitas Græcè* δικαιοσύνη & δίκαιον *à* δίχα & δίχαιον, *quod quaſi bipartitò & diviſim in æquales partes opera diffindat & penſet.*

5. Nomine *viſo* res *in juſtitiâ Vniverſali videnda eſt* & abſolutè *in reali poſitione, definitione, & effectis:* & reſpectivè *in diverſitate & oppoſitione.*

6. Politio juſt: Vn: *eſt, quâ reverâ in Ethicis habitus aliquis dandus eſt ad exercitium omnium virtutum juſtè obeundum hominem diſponens: Quod patet* & artificialiter *â perfectione hominis Ethicâ: Quia in Ethicis homo moraliter eſt perficiendus non ſolùm abſolutè & ſibi, ut per ſe honeſtus & moratus ſit: ſed &* reſpectivè & aliis, *ut honeſtatem ſuam etiam erga alios competenter exerceat, & vi legum juſtè ad publicum bonum eam ordinet, Quibus concordare actus ſuos in Rempubl. debere intelligat. E. & dandus in Ethicis habitus moralis diſponens hominem non ſolùm abſolutè, ut in ſe ſit probus, quod facit Virtus moralis: ſed & reſpectivè, ut probitatem erga alios exerceat, quod facit juſtitia Vniverſalis. E. & de hac in Ethicis præcipiendum:* & inartificialiter, *teſtimonio experientiæ, quà videmus, quoſdam abſolutè & pro ſe ſatis honeſtè ſe gerere, & tamen* erga alios in converſatione publicâ *non ſatis convenienter & juſtè ſe habere.* V. t. 7. *E. aliud præcisè*

eſt,

est, esse virtuosum in se, aliud, virtuosum se erga alium exhibere. Et sic dandus etiam habitus moralis, inclinans ad honestè se erga alium gerendum, quod justitia Universalis facit. Quidam *inter generales conditiones cujusq; virtutis eam recensent, quæ illam ordinet & velut constituat. Ut* Amesius l. 2. medul. c. 2. n. 25. 26. 32. *Sed rectiùs justitia dirigens quid virtutum dicitur, quàm conditio, cum* Keckerm. l. 1. Eth. c. 4. *Dirigit just: Univers. voluntatem ad obœdientiã omnium legum, & exercendas justè omnes virtutes, & sic principium aliquod virtutis est, quomodo omne dirigens directo est instar principij: Conditio autem magis affectio aliqua rei est, quàm principium. Sic prudentia propriè dirigens quid virtutum est, non conditio.* V. d. 3. t. 17. *Respectu prudentiæ est virtus directa justitia, unde & inter directas recensetur* c. 1. Respectu reliquarum virtutum *particularium est dirigens, non instar prudentiæ, sed habitus leges respicientis.*

7. Definitio *sit*: Justitia Universalis est habitus moralis, hominem ad obœdientiam omnium legum inclinans, & congruenter juri & legibus in societate civili vivere faciens. *Ex* genere *dicitur habitus moralis.* Habitus, *quia facilitat operationem:* moralis, *quia ad actum moralem ut proximum finem tendit, non in nudâ cognitione subsistit. Dicitur habitus moralis, non præcisè virtus, Quia â virtute differt aliquot modis.* 1. Universali complexione, *quia non tàm virtus aliqua speciale objectum respiciens est, quàm virtutum omnium moralium complexus: docet enim universas virtutes secundum leges probè justeq; ad alterum in communitate publicâ in salutem publicam exercere & applicare, unde & virtus Universa dicitur. Et propriè est principiũ dirigens virtutis moralis, non ipsa virtus moralis, ut sic.* V. t. 6. 2. Respectus super virtutem additione. *Virtus ut virtus, absolutum*

lutum quid est, respiciens proprium possessorem ut subjectum, quod simpliciter probum & honestum in seipso facit, & benè agere inclinat. Sed justitia præterea respectum addit, & virtutem ad alios ordinat, *docetq́; & honesta erga alium in societate justè exercere, facitq́;, ut non solùm nobis probi simus, sed & tales nos aliis exhibeamus: Vt non solùm virtutem pro nobis possideamus, sed & in ordine ad alium & commune bonum justè debiteq́; eam exerceamus. Vnde vulgò dicitur* bonum alienum. *Potest enim quis privatim bonus esse, & de rebus suis honestè disponere: ut tamen se non decenter gerat, ubi cum alio negotii aliquid capiendum. Conf.* th. 6. *Sic potest quis in suis bonis non esse avarus, ut tamen, ubi ad magistratũ veniat, incipiat publicis bonis inhiare, & peculatu commisso de illis ditescere conetur. Vbi illud Biantis valebit:* Officium ostendit virum, *vel, Magistratus ostendit virum: Germani dicunt:* Was der Mann kan/ zeigt das Ampt an. *Vt ergò & hic, & in omni actu ac conversatione, honestè justèq́; se homo gerat, facit justitia universalis. Illa diffundit se & ad alios, & etiam, ubi major peccandi occasio est, affectus cohibet, ne ultra modum ferantur, sed & in administratione ad alium commune bonum in societate civili observent.* 3. Legum Observatione. *Virtus, ut virtus, honestum facit tenere absolutè, posito, etiamsi nulla lex id facere jubens sit posita. Dictamen enim rectæ rationis prudenter determinans Philosopho est pro lege,* t. 1. *Sed justitia inprimis ad obligationem omnium legum honestarum respicit, ut legibus honestis in Republ. positis sciat homo, se ad obœdientiam omnium illarum vi justitiæ obligari, adeoq́; faciat ea, quæ sunt præcepta legibus, fugiat prohibita. Vnde & in definitione dicitur, ad obœdientiam omnium legum inclinans.*

8. *Ex* differentiâ *dicitur* 1. hominem ad obœdientiam

tiam omnium legum inclinans. *In hoc differt à virtute morali in genere, quæ dictamen rectæ rationis præcisè respicit: Sed justitia insuper jus vel legem, quâ aliquid justum & conveniens præcipitur. Vbi hic habitus inclinat ad ordinem illum, ut in respectu ad leges honestas sciat homo, se ad obœdiendum illis obligari. Vnde ex justitiâ universali profluunt leges, & ut objecta, & ut effecta, ut c. 11. patebit. 2.* Et congruenter juri & legibus in societate civili vivere faciens. *Leges de omnib. virtutibus ad bonum commune pertinentibus præcipere debent. Vnde justitia Vniversalis leges observans per omnes virtutis species progreditur, quia omnes universim complectitur, nullam excludit: facitq; ut quævis virtus justè, decenter, æquè, ab homine ad alium in societate communi exerceatur.* In societate civili, *ut respectus habeatur ad alios, quibus cum in societate nobis versandum. Alios intellige homines, supposita & personas: Est enim* τὸ *alius, quivis, omnis, & simile nomen, sumendum* de personâ, *non potentiâ aut facultate: quasi justitia universalis doceat in eodem supposito unam facultatem obœdire alteri, ut voluntas obœdiat rationi, appetitus sensualis voluntati, Quomodo* Plato 4. d. Rep. *justitiam in concentu facultatum animæ consistere docet, eumq; secutus* Ehemius l. 5. d. prin. jur. c. 3. *justitiam aliam absolutam facit, quæ animæ vires & rectitudinem respiciat, aliam relativam, quæ societatem humanam & Remp: Sed propriè justitia dicitur ad aliud suppositum, cui justè vivatur, ut docet* Aristot. 5. Nicom. c. 3. *Importat enim vox justitiæ æqualitatem; æqualitas autē propriè est inter supposita, & æquare proprium est suppositorum: analogicè facultatum. Absoluta est ipsa virtus nudè & per se sumpta, quà honesta est: & obœdientia facultatis ad facultatem est tropica & metaphorica, non propria, quæ respectu legum & conversationis cum alio homine ab homine fit.*

Ita cum leges observantur, respectus ad commune & publicum bonum habetur. Leges enim de virtutibus omnibus præcipientes ad publicum & commune bonum respiciunt, cujus gratiâ proponuntur, servantur, & defenduntur. Virtus ergò ad publicas leges observandas obligans, simùl ordinem ad publicum bonum involvit, ut ejus gratiâ & intuitu *per omnium virtutum decursum justè & æquè cum alio vivatur. Vt homo concordet legi ordinanti actus virtutum ad commune bonum: nec aliquid legibus aut honestati adversum quoquomodo committatur.*

9. *Quæri hic solet, an justitiam Vniversalem intellexerit Imperator, cum* l. 1. inst. t. 1. *Justitiam constantem & perpetuã voluntatem definijt, jus suum cuiq́ tribuendi, an particularem? In utramq́ partem sunt sententiæ.* Quidam *Vniversalem intellexisse putant, Vt* Bachovius in tit. 1. l. 1. Inst. n. 1. §. 3. Hunnius T. 1. in Treutl. d. 1. q. 6. Duarenus, Alciatus, Wesenbecius, Heigius, *alijq́ ap.* Wesenerũ prodr. jurisp. n. 12. Alij *particularem definÿsse putant.* Treutl. d. 1. t. 1. Vol. 1. Contius & Donellus *ap.* Hunn. Forsterus, Schneidevinus, Corasius, Oldendorpius *ap:* Wesenerum c. l. *Et verius mihi videtur, si verba,* jus suum cuiq; tribuendi, *propriè sumi debent, quod in definitione omninò fieri debet.* Aliud *enim est, præcisè conformitatem vitæ ad Juris & legũ præscriptum per se & essentialiter respicere, quod justitia universalis facit,* vt th. 8. *visum:* aliud, *jus suum cuiquè secundum præscriptum legis tribuere, quod particularis. Conformiter ad legem vivere potest, etiam qui nullum jus alteri debitum* propriè & præcisè *tribuit. Sic qui fortiter pugnat, sobriè ac temperanter sibi vivit, mitis & mansuetus est, secundum leges vivit, nec tamen propriè & in rigore Philosophico alteri jus suum tribuit, cum partim nullum habeat, cum*

quo

quo versetur, sed absolutè per se & sibi ita vivat: partim citra alterius damnum aut injuriam timidus, intemperans, iracundus esse queat. Sic qui quotidie se ingurgitat, peccat contra jus, i. e. leges Reipublicæ, ut tamen per solum ingurgitare nulli propriè injuriam inferat. Ita si liberalis alteri ex liberalitate aliquid concedat, ad quod concedendum nullâ obligatione speciali juris teneatur, ex justitiâ & æquitate Universali id aget, jus suum alteri tribuisse ex justitiâ dici non potest, quia alteri nullum jus ad hoc, *quod concessum est, competiit. Per accidens interdum evenire potest, ut justitia etiam Universalis jus suum alteri tribuat, quatenus particularem justitiam certo modo includit, & secundum illam etiam in societate vivendũ leges præscribunt, & injuriâ alius per factum afficitur: ut cum intemperans cum alterius uxore consuescit, injustus est, & marito, qui jus in illâ re habet, injuriam facit: & simùl contra leges publicas Reipubl: peccat, quæ illud facere vetant: sed casu & ex eventu illud est, Quia justitia universalis cum particulari hic concurrit, non ex naturâ & essentiâ just: Universalis, ut sic. Quæ autem eventualiter & ex casu fiunt, ipsis rerum essentijs & definitionibus eas exprimentibus, adscribi non possunt.* Aliud *etiam est, disceptare de fine Iurisprudentiæ, an illa saltem justitiam particularem intendat, an & Universale omnium virtutum secundum leges exercitium, de quo suaviter quidam hic rhetoricantur, & nos non negamus:* Aliud *est, disceptare de definitione Imperatoris, quid ille in eâ complexus sit. Ubi negamus, verbis illis, jus suum cuiq; tribuere, justitiam Universalem comprehendi posse, nisi admodùm impropriè & alienè definitio sit posita, quales aliàs in Iure non sunt infrequentes, si ad definiendi dividendiq; artem, Logicã, examinentur. Et satis incommodè vox* cuiq; *ita extenderetur, ut &* proprium suppositum *notet, ut cuiq; suum tribuere compræ-*

 hen-

hendat etiam virtutem absolutam sibi & pro proprio supposito exercitam: Vt cum quis sibi temperanter vivit, patienter tolerat, modestè sentit, prudenter prospicit: Cum illud, cuiq; ex proprio significato *satis apertum respectum ad alium involvat, cum quo agendum. Et principia Iuris non absolutam tantùm virtutem requirant, quæ præcipitur illo, honestè vivendum esse: sed &* respectivam, *quæ ad alium exercenda, ut, cuiq; suum tribuere. Et si cuiq; suum tribuere dicendus esset, qui pro se honestè viverit, ex opposito,* qui inhonestè viveret, *sibi injuriam facere dicendus esset, quod nemo admittet. Nunquam enim inhonestas morum aut injuria dicitur, nisi per summum vocum abusum: aut aliquis in seipsum injurius esse potest, ut benè contra Platonem disputat* Philosophus 5. Nicom. c. 15. *Cum nemo spontè injuriam patiatur, inhonestas amorum spontè ab homine assumatur.*

10. *Fuit* definitio *Iustitiæ Vniversalis:* Effecta *ejus sunt* jura & leges, *de quibus nunc consequenter dicendū.* Nomen *juris & legis variè sumitur. Vnde jus & objectùm justitiæ & causa, & effectus, diversimodè dici solet.* Jus *notat interdum* ipsam justitiam objectorum *fundamentaliter in ipsis rebus honestis fundatam, sic justum dicimus, quicquid virtuosum; Hoc jus fundamentaliter sumptum dici possit: De quo* V. Ciceron: l. 1. d. leg. §. 42. 43. 45. 46. Interdum *regulam operum, qualis est lex, præceptum, sententia judicis, dictamen prudentiæ & rationis, & quicquid in societatis usu à rectâ ratione præscribitur. Sic in illo* Virgilij 1. Æneid: *Remo cum fratre Quirinus Iura dabant: Hoc jus normaliter sumptum dici possit:* Interdum *pro necessitudine & cognatione aliquâ, sic jus agnationis, affinitatis:* Interdum *locum juri dicundo consecratum, sic in jus vocare, i. e. ad tribunal & sedem prætoris:* Interdum *quidquid à prætore enuntiatur, etiamsi non*

jus, sed injustum & violentũ fit. Sic prætor jus reddere dicitur: Interdum *scientiam & peritiam regularum Iuris, quomodo Iuris Candidatos, Doctores, &c. dicimus, & jus artem (vel potiùs prudentiam) æqui & boni definire solemus:* Interdum *facultatẽ moralẽ possidendi, habendi, aut agendi circa aliquod: quomodo jure suo uti dicimus, qui domum suam aut agrum elocat, vendit, donat, &c.* Interdum *justum & æquum strictè dictum, h. e. debitum legale alteri ita reddendum, ut alter jus & actionem ad illud poscendum habeat. Dicitur jus strictè dictum, quia latè dictum omne debitum moralis cujusvis virtutis dici potest, etiamsi alter actionem in illud non habeat. Sic veraciter loquendum alteri: tamen si contrà fiat, non habet alter actionem postulandi illud: Eleemosyna danda egeno, non tamen egenus jus aut actionem habet ad illam, si non detur, exigendam. Sic maximè in justitiâ particulari sumitur jus:* Interdum *omne id, quod justè honestèq; ad legum conformitatem ab homine exerceri debet. Sic & secundo modo maximè hic sumitur.* Lex *sumitur interdum in scripturis largissimè pro omni doctrinâ, interdum specialiùs pro doctrinâ Veteris Testamenti, vel Mosis, vel omnium scriptorum V. T. Interdum pro constitutione Politiæ Iudaicæ: Interdum pro legis maledictione, interdum strictissimè pro unâ aliquâ & particulari constitutione, interdum alio modo, quæ exemplis persequentem vide* D. Meisnerum l. 1. d. leg. q. 1. *Hic sumitur pro* regulâ agendorum & omittendorum. *Derivationem vocis alij â legendo, alij â ligando, alij â deligendo, alij ab intelligendo formant.* Logicè *vox est primitiva, aliam non agnoscens, unde Logicè derivetur: est enim ultimatè abstracta, & cæteris â se denominatis derivationem suppeditat. Vt legali, legitimo, legifero, leguleio, &c.* Synonymicè *Grammaticè dicitur etiam statutum, jus, jussum, mandatum, sancitum,*

citum, decretum, præceptum, rescriptum, regula, per translationem ab architectis sumptam, ad quam velut normam exploretur, quid in juris quæstione rectum, æquum, & verum sit. Conf. Senec. ep. 11. *Græcis* νόμος *â* νέμειν, *quod æquè dividat & administret res: vel â* νόος, *mens, quod â mente divina & humanâ in urbes manet. Hebræis* תּוֹרָה, עֵדוּת, פִּקּוּד, *& in sacris varia nomina habet, de quibus* Westhemerus de trop. scrip: *in voce legis videatur. Germanis* gesetz/ satzung/ befehl/ geboth/ *&c. Periphrasticè mens urbium vocatur.*

II. *Priusquam ad* realia *legis explicanda veniatur, velut in antecessum observentur sequentia.* 1. Lex ac jus *& effectus justitiæ, & causa, & objectum esse potest, habetq́ue respectum & causativum, & effectivum, & objectivum ad justitiam, pro diversâ vocis acceptione & consideratione. Iustitia quatenus consideratur* antecedenter, *cum nondum lex est inventa, sed invenienda, est habitus ad honestum respectu legis vel conditæ vel condendæ servandum in societate inclinans. Ita est causa juris & legis, tanquam immediati effecti ab eâ resultantis, & habitus justitiæ judiciumq́ue ex eâ deductum est causa legum & constitutionum honestarum. Oportet enim legislatores esse justissimos & æquissimos, si justa ac honesta ferre velint: & priùs de ratione legis prudenter disceptandũ, antequam lex ipsa feratur: Leges & jura sunt effecta justitiæ, â quâ promanant, & hoc modo justitia inprimis in moralibus spectari solet, ut rectè inquit* Jac. Mart. l. 2. Eth. c. 15. *non prout leges sunt causa justitiæ acquirendæ aut exercendæ, cum justitia etiam ante legem latam per propriam assuefactionem honestatis in homine esse posit, & per se sit habitus ab lege latâ vel ferendâ abstrahens, ut ante dictum: Quomodo dici solet:* Justo non est lex posita, *quia sponte etiam*

&

& sine lege ea, quæ sunt legis, facit. Justitia considerata consequenter, *quà leges jam sunt inventæ, statutæ, & â societate in usu applicandæ; Ita est effectum legis & juris, & â lege tanquam normâ & causâ exemplari dirigente pendet, & secundum legis præscriptum in Republicâ exercetur. Hoc modo lex dirigit* & *judicem in judicando, ut justitia judicando administrata â lege tanquam effectus â causâ dependeat:* & *subditum in obtemperando, ut acta sua ad regulam juris componere sciat, & per crebras justi exercitationes secundum leges occupatas, habitum justitiæ sibi introducat. Ita justitia magis in* Jurisprudentiâ *quàm* Phil: morali *spectatur. Et patet hinc, quid respondendum, quando quæritur*, An justitia sit â jure, an jus â justitiâ? *Similiter* lex *est objectum justitiæ, quatenus consequenter ea comparanda, & ad præscriptum legis administranda est, Ubi legem tanquam obiectum, quod in actum usumq; duci debet, respicit: Effectum, quatenus antecedenter ante legem datam ea in homine intelligitur, & ex cujus radice ad ipsas leges ferendas proceditur.* 2. Lex *potest esse effectum justitiæ & universalis & particularis.* Universalis, *quà ad omnia honesta, quæ præcipit, inhonesta, quæ prohibet, se extendit. Sic & complectitur ea, quæ homini absolutè pro se perfectionem & honestatem præstant, quod omnis virtus moralis per se spectata facit. Ita justitia Universalis ad obœdientiam omnium legum honestarum disponere dicitur*, t. 7. *sive leges sint conditæ, sive condendæ, utroq; respectu justitia indifferenter disponit. Et ita leges commodissimè just: Universali subjunguntur, cum cœteræ disputationes sufficientes materias tractandas habeant.* Particularis, *quà in particulari rerum externarum commutatione & distributione justum æquumq; servandum docet, & ne quis defraudetur, prohibet. Ita de legibus & in justitiâ particulari aliquid doceri possit.*

12. 3. De legibus *pro vario respectu in variis disciplinis doceri potest. Consideratur lex* vel prout *menti humanæ à principio creationis à Deo indita est, aut certæ politiæ ad justum ordinem servandum ab eodem præscripta est, unde leges morales, cerimoniales, & forenses dicuntur, Ita in Theologicis de lege & Evangelio tractari solet :* vel prout *in certâ Republicâ lata dextrè interpretanda est, vel ad sonum litteræ, vel ad sensum bonæ consequentiæ: Ita ad* ICtum *pertinet, qui inprimis leges civiles datas dextrè interpretari, casibus evenientibus judiciosè accommodare, & controversias exortas conscientiosè ex illis dirimere debet: Hoc enim jurisprudentiæ, quæ prudentia* Judiciaria *est, munus est, legem latam legitimè interpretari, ap.* Aristot. 6. Nicom. c. 8. *Sicut legislatoriæ est, rationem legis indagare, aut ex ratione legem ponere.* ICtus, quà talis, *non disputat de ferendâ lege, aut an ritè aut utiliter sit lata, aut quibus causis lata: Sed istis præassumptis circa sensum legis eruendum explicandumq́; est occupatus, ut benè docent* Hornejus 4. Eth. c. 3. n. 7. Arniseus l. 2. Polit: s. 3. n. 18. *Ita & leges latas respicit, & in certâ politiâ assumptas. Erubescit enim sine legibus (sc. latis & assumptis,) loqui.* §. consideremus. Nou. const. 18. c. 5. *Etsi lex dura est, sufficit illi, quòd ita scripta est :* Vel prout *determinatè ad certam Reipublicæ formam applicanda est, videndūq́; an illi conveniat, an noxia sit: quomodo prudenter inducenda, conservanda, abroganda in hoc a. illo statu sit, cum alias leges poscat Democratia, alias Aristocratia & Monarchia. Ita de lege agere ad* Politicum *spectat,* V. Aristotel. 2. Polit. c. 8. Vel prout *generalis ejus natura sine determinatione ad certam Reip. formam in esse generali spectatur, origo & species legum indagantur, leges civiles in legem naturæ, lex naturæ in legem divinam, quantum fieri potest, reducuntur. Ita* ad Ethicum

Ethicum *spectat de legibus tradere, earumq; rationes ex intimâ Philosophiâ desumere, ut* Cicero 1. d. leg. §. 58. 59. seq. *disserit, h. e. ex ipsâ disciplinâ civili & morali, quæ ex justitiâ leges derivat. Hoc modo de lege hic præcipiendum. Sed in hac generalitate* dupliciter *adhuc lex spectari potest.* 1. Absolutè & prorsus generaliter, *ut abstrahit â justo vel injusto, licito vel illicito, honesto vel inhonesto: notatq; præceptum imperans vel prohibens aliquid in vitâ generaliter, sive honestè sive inhonestè id fiat. Hoc significatum* quidam *hic usurpant, & ad legem ut sic, indifferenter se habere ajunt, an de licito imperet, an illicito. Vt* Arnisæus l. 1. Polit. c. 18. Horneius l. 4. Eth. c. 3. n. 9. Flerus d. 11. Eth. t. 9. *Quod* partim *exemplis legum iniquarum probant, quæ postea correctæ sunt:* partim *â naturâ Reipublicæ, cujus essentiam non ingrediutur bonitas aut vitiositas, sed tanquam accidentia ad eam sunt: Ita nec essentiam legum ingrediuntur, ex quâ essentia Reipub. explicatur:* partim *exemplo civis directi â lege, qui potest esse bonus civis, & obœdire legibus tyrannicis, ad earumq; statuta se componere, ut tamen non sit bonus moraliter. Vnde & lex humana dirigere poterit civem, ut tamen non necessariò sit honesta moraliter:* partim *testimoniis Aristotelis, ut* 5. Eth. c. 3. *leges de omnibus præscribere ait, vel secundum virtutem, vel secundum alium aliquem modum: Et* 3. Polit. c. 11. *alias leges requirere bonas Respub: alias malas.* c. 3. *inter civem bonum & virum bonum distinguit.* 2. Determinatè & *quodammodò generaliter, ut ad justum licitumq; est determinata, notatq; præceptum de honesto licitoq; datum. Hoc significatum alij assumunt, negantq; veram legem esse, quæ de illicito sit. Ita* Plato l. 5. de legibus. Cicero l. 1. d. leg. §. 18. 19. 58. l. 2. §. 11. 12. 13. l. 2. d. inven: §. 36. Thomas 1. 2. q. 99. a. 2. q. 92. a. 1. q. 96. a. 4. Augustinus l. 1. d. lib. arb. c. 5.

dicens: Mihi lex esse non videtur, quæ justa non est. Similia l.19.d.Civ.Dei.c.20. *habet.* Clemens Alexand.l.1. Strom. Valentia T.2. d.7.q.1.p.1. Timpler. l.4. Polit. c.4. q.7. D. Meisner. l.1. de legib. q.5. p.74. & l.4. f.1. q.8. n.2. Piccolomin. gr.10. c.24. *Et consentit* Aristoteles 5.Nicom. c.1. *Legalia justa esse factiva dicens, & conservativa felicitatis. Et* c.5. *Lex jubet secundum quamvis virtutem vivere, & prohibet secundum quodvis vitium vivere. Hæc significatio huic loco est accommodatior. Etsi vocabulum legis adeò amplè interdum sumatur, ut quodvis sancitum notet, sive de objecto honesto, s. de inhonesto latum: In* Ethicis tamen & Politicis *nonnisi de honestis licitisq́; legibus docetur, & leges illicitæ leges æquivocè dicuntur, ut statua lapidea dicitur homo, ut* Piccolom.c.l. *loquitur: nec tàm leges, quàm legum enormitates & perversitates, ut* Thomas c.l. q.92. *non regulæ actionum, sed anomaliæ: non ordines, sed inordinationes, ut* D. Meisner. c.l. Imperata *de iniquis esse possunt:* leges *tantùm de honestis. Unde in hac materiâ lex pressiùs sumitur pro sancito honesto & licito. Iam n. in moralibus & Ethicis occupamur, & leges ex justitiâ velut fonte derivamus ex* th.11. *Sed nec ex justitiâ leges injustæ aut illicitæ fluere possunt: nec Ethica & morum disciplina aliquid injusti aut illiciti præscribere potest, & consequenter, quæ in illâ de legib: disceptantur, ad leges honestas & licitas, non ultrà, sunt extendenda. Interim* vocis generalitati *dari potest, ut lex generaliter pro omni sancito sumatur, sive de honesto illud sit, sive de illicito, ut & de voce juris* th.10. *notatum.*

13. Realia *legis pertractando videnda in lege erit definitio, causæ, divisiones, objecta, subjecta, affectiones, & opposita.*

14. Definitio *legis, prout in Ethicis tractatur, hæc sit:*

Lex

Lex est decretum à potestatem habente sufficienter promulgatum, dirigens substantiam intellectualem ad ritè vivendum, & obligans ad obœdiendum, ut salus status servetur.

15. *Circa definitum nota 1. Definiri hic legem, ut in Ethicis spectanda est, & ex justitiâ originem ducit, non prout ab honesto aut inhonesto abstrahit.* V. c. 12. *2. Definiri hic legem non præcisè in se, sed ut est & in legislatore & subdito. Lex enim potest spectari,* & *ut est in legislatore: Ita est actus legislatoris judicans, volens & imperans hoc aut illud à subditis servandum. Primus actus ad prudentiam ejus pertinet, secundus ad potestatem & authoritatem. Non n. potest legitimè velle & imperare aliis, nisi potestatem id volendi & imperandi habeat:* Et *ut est in subdito: ita est judicium practicum intellectus, hoc aut illud promulgatum legitimè servandum esse dictans:* & *ut est absolutè in se, ita est regula vel mensura dirigens & obligans nos in nostris actionibus.* Dirigit *autem hoc modo lex, non per modum cognitionis seu judicii, sic. n. actus intellectus & judicium practicum dirigit: sed* per modum objecti cogniti, *sicut exemplar, quod artifex intuetur, dirigit ipsum in operando.* Obligat, *non effectivè obligationem in subdito causando, ita n. vel ipsa natura rei obligat, ubi lex est naturalis: vel voluntas superioris, ubi positiva: sed* terminativè *terminum obligationis inducendo, Est n. lex in se terminus, ad quem sequendum homo in suis actionibus obligatur: sicut objectum movet voluntatem, non effectivè malum in eâ producendo: sic seipsam movet: sed quia terminat eam, ut id, in quod voluntas per motum & operationem tendit. Hoc modo lex* & *ad intellectum pertinet, ratione directionis objectivæ:* & *ad voluntatem, ratione motus & obligationis, obligat n. voluntatem ad obedìendum & exequendum imperata.*

16. *Ex genere lex dicitur* decretum. *Circa hoc adverte duo.* 1. Genus rigidum *legis dari non potest, quale in rebus directè prædicamentalibus est;* sed analogicum, *prout in ente complexo genus esse potest. Lex enim complexum & collectivum quid est ex terminis pluribus in propositionem aggregatis: Vt, Deus est colendus, Parentes sunt honorandi: Non furtum, non adulterium est committendum.* Legem connatam *& naturæ quidam excipiunt, quam simplicem qualitatem & habitum dicunt, de quo alibi. Nec hoc magnoperè videtur necessarium. Habitus legis potest esse simplex, ut* ipsa lex *sit aggregata. Sicut habitus principiorum theoreticorum & practicorum potest esse simplex, ut ipsa* principia sint complexa *& integræ enuntiationes. Sed quæ complexa sunt, directè uni prædicamento assignari non possunt, & sic nec rigidum genus habere.* 2. Vox decreti *hic non sumenda specialiter, ut sententiam dubitantem, disceptantem, colligentem, succedentem, ignotum ex noto deducentem notat, sic multiplex imperfectio in decreto est, & Deo non competit, in quo decreta agnoscimus: sed generaliter, ut simpliciter sententiam latam & præceptum rei faciendæ notat. Connotatur & illâ voce* & *actus intellectus in legislatore, quâ prudenter regula moralis proponitur:* & *voluntatis, quà ejus imperio ad regulæ observationem subditus obligatur, nempe: Volo & jubeo, hanc regulam subditis observari.* Jubere enim lex debet, non disputare, *ut Seneca* ep. 94. *loquitur. Per hoc differt â consiliys, admonitionibus, dehortationibus, suasionibus, dissuasionibus, quæ monere & dirigere possunt, imperare & obligare non possunt. Vnde* Hieronymus l. 1. con. Jovin. *Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas servientis. Varia aliàs genera legis assignantur à variis.* Quidam *per imperandi prohibendiq́ sapientiam,* alij *per rectam ratio-*

tionem summi Jovis, alii *per rationis ordinationem*, alii *per communem civitatis consensum*, alii *per doctrinam*, *vel constitutionem, vel normam, vel dictamen rationis practicæ, vel divinæ voluntatis patefactionem*, alii *per aliud genus definiunt. De quibus* Hornejum l. 4. Eth. c. 3. n. 11. 12. D. Meisner. l. 1. d. leg. q. 2. *aliosq́, videas. Omnia inaccuratè.* Quædam *magis causam legum efficientem, quàm genus dicunt, ut communis civitatis consensus.* Quædam *effectum magis & affectionem, ut ordinatio: lex n. non ordo, sed ordinis norma est:* Quædam *nimis laxa sunt, & consiliis etiam competunt, ut rationis ordinatio, doctrina:* Quædam *nimis stricta, & legibus divinis tantùm competunt, ut divinæ voluntatis patefactio:* Quædam *tropica & metaphorica, ut ratio summi Iovis: ut uberiùs per discursum dici poterit.* Dices: *Nec decretum satis exhaurit naturam legis, nam lex naturæ non est decretum, sed habitus quidam connatus, & notitia naturalis, & tamen lex. Est potius norma agendorum, quàm decretum. R. Vt lex naturæ dicitur lex, sed indita & innata naturæ intellectuali: Ita & decretum & dictamen rationis naturalis est naturæ rationali naturâ inditum, i. e. sententia & principium luminis naturalis dictans, quæ agenda, quæ omittenda sint. Vt decretum* externâ præscriptione *& promulgatione jubet agenda & omittenda: Sic* lex naturæ internâ dictatione *& inscriptione menti humanæ inditâ. Quæ promulgationi analogon quid est. Vt in promulgatione aliquid indicatur externè: Ita in naturali impressione internè: quod suo tempore, ubi organa cognoscendi justè conformata fuerint, in actualem cognitionem erumpet, ut in infantibus videmus. Et ut lex est norma & mensura, si absolutè & præcisè sumatur,* v. t. 15. *Ita respectu legislatoris est decretum: respectu subditi, cui fertur, obligatio, Et ita in definitione definitur, ut clariùs natura ejus patescat.*

17. *Cætera verba* differentiæ *loco sumuntur. Ea & à causis, & subjectis, & officio legis proprio sumuntur.* Ab efficiente *dicitur*, à potestatem habente sufficienter promulgatum. *Lex à superiore fertur, qui habet potestatem*, & jurisdictionis: *ut imperare queat legem, quæ subditos dirigere & obligare in actionibus debet: Nemo n. obligabit alios, nisi qui habeat jurisdictionem in illos:* & coactionis, *ut cogere ad obœdientiam aut pœnam sustinendam possit. Vnde gladius Magistratui à Deo datus*, Rom. 13. v. 4. *Vt efficaciter exequi possit leges suas in subditis: secus lex sine executione est campana sine pistillo. Talem jurisdictionem habet* vel *ipsa communitas, quæ jus legislatorium, ut corpus liberum, sibi reservare potest:* vel *communitatis præses, ùq;* vel *supremus, ut DEVS, qui ut absolutus omnium Dominus omni intelligenti creaturæ legem ferre potest, cui absolutè obœdire coguntur:* vel *subordinatus & respectivus, ut homo superior authoritatem ferendi leges vel immediatè à Deo habens, ut Moses in V. T.* Exod. 21. v. 1. *vel mediatè à communitate accipiens, quæ in certam personam hoc jus transfert, eiq; exequendum committit. Vt in Rebusp. esse solet. Dicitur porrò*, sufficienter promulgatum. *Hoc necessarium requisitum in lege est, sufficienti intimatione subditis factâ promulgari, i.e. patefieri & indicari. Dicitur enim promulgari quasi provulgari. Nam sine hoc lex nec dirigere nec obligare potest, nec rationem præcepti subditis facti sufficienter obtinere. Lex n. ex formali officio debet dirigere & obligare, ut pòst dicetur. Sed dirigere nihil potest, nisi præscribatur & promulgetur. Vnde quàm diu lex in legislatore manet, non proponitur subditis, non habet totale completivum requisitum, ad completam legis rationem necessarium, nec officium legale exercere potest. Sic lex æterna in Deo, quà æterna, nondum habuit accuratam rationem*

legis,

legis, antequam subditi essent, quibus proponeretur cum obligatione. Sic in Repub. cum lex in mente legislatoris adhuc tenetur, completam legis rationem non habet, nisi ubi subditis est promulgata.

18. *De promulgatione nota* 1. Promulgatio *hic non sumenda* strictè, *ut externam & solennem tantùm notat, quomodo ap. Romanos legem promulgare erat integro trinundino seu 27. diebus publicè proponere: sed* latè, *ut quamvis sufficientem voluntatis patefactionem subdito factam notet, s. ea sit interna & analogica, qualis est in lege naturæ mentibus hominum à Deo insitâ.* v. t. 16. *s. externa & magis propria, quæ externo aliquo signo fit, Voce vel scripto.* Voce *apud Lacædemones proponebantur, ubi Lycurgus vetuit leges scripto servari, ut meliùs servarentur animo.* Plut. in Lyc. Scripto *apud Athenienses & Romanos.* 2. Signum externum *promulgationis sufficiens sit ad notificandam voluntatem Legislatoris, partim* ratione modi *notificandi, ut ille satis sit clarus, apertus, patens: secus non satis illam cognoscerent subditi. Vnde malè Caligula leges minutissimis litteris angustissimoq; loco proponebat, ne quis describere posset.* Sueton. in Calig. §. 11. *partim* ratione objecti, *Cui notificatur, ut satis universaliter notificetur, saltem ipsi communitati, cui lex obliganda fertur: ut potissima ejus membra illam sciant, & ab illis singulis innotescere possit: non a. præcisè omnibus communitatis individuis singulariter sumptis, hoc enim non necessarium est, cum manifestata potiorib: membris lex, ad notitiam cæterorum sufficienter pervenire possit, nisi ex supinâ & crassâ ignorantiâ præterire eam velint, quæ nec in foro conscientiæ, nec in seculari excusationem inveniet.* 3. Promulgatio *est* vel solennis, *quæ cum debito ritu & ceremoniâ fit, quomodo Deus legem moralem proponebat,* Exod. 20. *Hæc in* lege humanâ *est neces-*

cessaria, quia Magistratus præter personam privatam, quâ ut civis Dei & naturæ spectatur, & subditis par est, etiam personam publicam sustinet, & per hoc superior est subditis. Vt ergò constet, quòd ex publicâ authoritate, quâ pollet, velit obligare subditos, oportet publicâ & solenni ceremoniâ id testetur. Ita Romani solennitates adhibebant, de quibus Pontanum l. 4. progym: dial. 20. Demsterum l. 8. antiq. Rom. c. 2. *videas. In lege* divinâ *non est semper necessaria. Quia Deus sine ceremoniâ potest efficere, ut certò constet, divinâ authoritate se velle nos obligare. Est n. absolutus omnium dominus:* Vel non solennis, *cum sine ceremoniâ lex notificatur. Sic Christus jussit Apostolos prædicare Iudæis.* Matt. 10. v. 5. 4. Promulgationem *debet sequi legis acceptatio: vis n. obligatoria legis pendet ab acceptatione ejus â Repub. pro jure, quod sibi in eâre reservavit. Et princeps potestatem condendi legem habet in tantum, in quantum communitas concessit: quod fecit cum reservatione acceptandi vel non acceptandi: unde si populus non acceptet legem, obligare lex non potest. Acceptatio a. ad minimum â* majore communitatis parte *fieri debet, etsi non ab omnibus Individuis fiat. Acceptatur autem* vel *consensu tacito, cum non expressè rejicitur:* vel *expresso per scriptum aut vocem, cum scripto aut voce lex placere indicatur:* vel *praxi & ipsâ executione, cum major communitatis pars de facto legem exercere incipit, & ad ejus præscriptum actus suos dirigere.*

19. Ab officio & subjecto *dicitur porrò*, dirigens substantiam intellectualem in vivendo, & obligans ad obœdiendum. *Officium legis est directivum & obligativum.* Directivum, *quia dirigit actus nostros per modum exemplaris & objecti cogniti.* v. t. 15. *Lex divina actus & externos & internos æquè dirigit, nam & actum externum, & internam con-*

concupiscentiam prohibet, V. Matt. 5. v. 28. *humana externos primariò, internos secundariò. Vnde nemo in foro soli luit, qui internè tantùm peccavit. Dirigit a. lex partim* actu, *& in hoc est officium legis:* partim *potestate, h.e. vi dirigendi instructa est, & in hoc ipsa essentia legis consistit. Potest n. actualis directio abesse à lege, ut qui legi obligatur, & ignorat eam, non dirigitur à lege*, V. *i.* 18. Obligativum, *quia infert debitum morale in subdito, quo conformare tenetur suam voluntatem ad voluntatem legislatoris sub comminatione pœnali, si contrà faciat. Conformatio a. fieri debet* non solùm ratione objecti *vel rei volitæ, sic n. aliquid voli potest, quod & superior vult, ut tamen voluntati superioris non sufficienter conformetur, si non talibus circumstantiis velitur, quibus superior vult. Sic David volebat templum extrui, quod & Deus volebat, sed à Davide id fieri nolebat.* 1. Chron: 23. v. 8. 9. *sed* & modi volendi, *ut præcisè subditus ita aliquid velit, quomodo ipsum obligatum esse superior voluit. Ita conformatio spectanda & ratione* temporis, *quando, & quamdiu aliqua lex obligat: ubi lex vel ex nunc, ut loquuntur, & à promulgatione statim obligat, vel post aliquod intervallum: vel perpetuò & incessanter, vel ad certum tempus, ut leges ceremoniales V. T. Et ratione* modi, *quo lex obligat:* & pœnaliter, *si pecces, Ita omnes leges ferè pœnas transgressoribus assignant:* interdum & sub periculo vitæ, *cum observatio legis plus commodi publico bono infert, quàm conservatio vitæ privatæ: aut violatio plus nocet bono publico, quàm amissio vitæ propriæ. Vt si cum detrimento veræ fidei, totius Reipubl. Magistratus contumeliâ & similibus sit conjuncta. Ita Imperator in necessitate militem obligare potest ad stationem non deserendam, etiamsi ibi moriendum sit: &* conscientiosè, *ut à proprio interno mentis dictamine homo ad observandam legem obstringa-*

tur, aut Deum offendat. Hoc & directè *& immediatè fieri potest, quomodo omnis lex divina obligat : &* indirectè *& mediatè, quatenus consequenter Deus læditur per inobœdientiam vicario suo præstitam, quomodo leges humanas conscientiam obligare statuunt.* V. Rom. 13. v. 2. 5. 1. Pet. 2. v. 13. 19. D. Meisner. p. 3. Ph. so l. 2. c. 4. q. 12. *Et* ratione objecti, *quomodo lex* vel *generaliter omnes homines ratione utentes obligat, ut nullus excipiatur, ut lex moralis :* vel *specialiter unius Reip. membra, quibus fertur : sic lex ceremonialis & forensis Iudæos ; Romana Romanos : Vel scientes & ignorantes simul, postquam est promulgata, Vt lex naturæ, de quo* D. Meisn. p. 3. P. S. l. 2. c. 4. q. 3. *videatur : vel solos scientes, ut lex humana & civilis, si id intendat. Vnde* Cod. d. leg. t. 14. §. 9. *leges, quæ hominum constringant vitas, ab hominibus intelligi debere Imperator ait.*

20. *Ex* subjecto *dicitur,* dirigens substantiam intellectualem. *Lex activè & passivè sumpta subjectum agnoscit substantiam intellectualem, intellectu & voluntate præditã, ut Deum, angelos, homines. In Deo est lex* activè, *quia legem sancit : In angelis & hominib. &* activè & passivè, *quia & legem ferunt, & latam accipiunt. Brutum & inanimatum legem accipere non potest, quia intelligere præscriptum non potest. Junguntur interdum in legibus bruta hominibus, ut* Exod. 21. v. 28. Levit. 20. v. 15. 16. *Sed ut materia & objectum legis, non ut subjectum recipiens. Homini propriè ut subjecto lex fertur,* V. Exod. 21. v. 1. Lev. 20. v. 22. *nam is, quod lege præceptum est, exequi debet.* Exod. c. l. v. 29. 32. *Sed brutum potest esse materia & objectum legis, circa quod homo, ut subjectum, ex obligatione legis agere debet. Et supplicium ac vindicta de brutis sumitur, Vt* Gen. 9. v. 5. Levi. 20. v. 15. *Sed in exaggerationem & detestationem facti, non quasi propriè*

contra legem latam deliquissent. Sic supellex Achanis combusta, Jos. 7. v. 25. *in detestationem peccati Achanis, non quasi ipsa peccasset. Sic in detestationem Sodomiæ etiam brutum occiditur*, Lev. 20. v. 15. *Jericho, Sodoma, Gomorrha excisæ, in detestationem scelerum ab incolis patratorum, non quòd ædificia peccârint. Casus & argumentum legis de bruto esse potest: Lex ipsa fertur pro homine. Loquimur a. de lege positivâ. Lex naturalis etiam bruto est indita*, v. t. 22. *Sed de illâ hic non est quæstio. Positiva nonnisi intellectuali creaturæ ferri potest. Sic in Jure Civili, si quadrupes pauperiem fecerit, actio datur, sed* in herum, *cui lex est data*. V. Hunnium T. 1. in Treutler: d. 19. q. 4. *& patet* l. 1. §. 12. digest. *Si quadrupes. Idemq́ in Jure divino servatur*. Exod. 21. v. 29. 35. 36.

21. *Vltimò in definitione dicitur*, Vt salus status servetur. *Hoc à* fine *legis sumptum. Finis legis* vel *est ultimus, idq́ vel absolutè, Vt gloria Dei*: vel *determinatè, ut salus status cujusq́, & publici, ut bonum communitatis & Reipublicæ, & privati, ut status Oeconomici, domestici*: Vel *intermedius, qui & magistratus directio est, ut sciat, quid exequi & custodire debeat: & subditi, ut sciat, quid agere aut vitare conveniat.*

22. *Ita* definitio *legis explicata fuit*. Causa efficiens *& finalis ex* th. 17. 20. *materialis ex* t. 12. *patet, quod sit omne licitum. Objecta & subjecta legis ex* t. 19. 20. *patent. Hic illud nota, objectū legis debere esse rem præsentem & futuram, non præteritā*, V. lib. 1. Cod. tit. 14. §. 7. *In humanâ etiam possibilē, & publicè privatimuè utilē. Ad impossibilia enim non est obligatio. Vnde inepta Mexicanorum lex fuit, quâ juramento Regem suum obstrinxerunt, ut serenitatem & pluviam suo tempore suppeditaret, grandines, imbres & frugum noxas averteret, notante* Arumæc Vol. 3. dis. Acad. d. 23. t. 46. *Cum nihil horum in potestate habuerit. Et* de privatis

 rebus

rebus *leges publicè dare eludere homines est, non obligare. Sic* Claudius *inter edicta retulit, largo vini proventu benè picanda esse dolia: & viperæ morsum nullo validiùs curari, quàm taxi arboris succo.* Sueton. in Claud. §. 16. Divisiones *legis variæ sunt.* Ex speciebus *dividitur in naturalem, divinam, & civilem.* Naturalis, *quam DEVS impressit naturæ. Hæc* vel *homini cum brutis communis est, ut defendere seipsum, fœtum amare & alere:* Vel *soli homini propria, Vt Deum timere, parentes honorare. Huc pertinet &* jus gentium, *quod natura hominē docet, ut est animal sociale. Dicitur etiam jus naturæ ortum. Theologi & ICti in definiendo hic divertunt, quod Vide ap:* Becanum p. 2. T. 1. Th. Sch: tr. 3. c. 3. q. 1. Amesium l. 5. Cas. consc. c. 1. q. 3. Divin*a est, quæ peculiariter à Deo statuta est. De eâ postea.* Civilis, *quam homines ut animalia socialia pro communitatis utilitate, necessitate, & circumstantijs constituunt.* Subdividi *solet in scriptam & non scriptam, quæ & jus consuetudinarium dicitur: principalem & secundariam, quæ edicta prætorum, responsa prudentum & similia complectitur. De his divisionibus* V. Dempsterum l. 8. ant. Rom. c. 1. Ex subjectis *legem ferentibus dividitur lex in divinam & humanam.* Divina, *quæ DEVM authorem habet: & in moralem, forensem ac ceremonialem subdividitur, de quo uberiùs Theologi videndi.* Humana, *quæ homines authores habet. Subdividitur ut civilis supra.* Ex modo ferendi *lex in publicam & privatam dividi potest. Publica, quæ publico nomine pro bono publico fertur. Vt Politica. Privata, quæ privato nomine pro bono privato fertur. Vt lex domestica, Oeconomica, &c.*

23. *Ita* divisiones *legis: Sequantur* affectiones. *Eæ sunt* necessitas, *dignitas & utilitas legum in Repub: de quâ* Platonem l. 4. d. leg. Aristotelem 5. Politicor. c. 8. Dempste-

psterum præf. l. 8. ant. Rom: *aliosq́; vide.* Bonitas, *quâ lex non illicita, sed licita objecta præcipere debet.* V. t. 12. Efficacia legis, *quâ per officium legale & vi ostensivâ, & obligativâ, & coercitivâ prædita est*, V. t. 19. *& inobœdientibus pœnas minatur vel generaliter, vel specialiter, modum & rationem pœnæ assignando. Sic lex naturæ furtum in genere puniendum dictat: positiva vel capitis pœnam, vel relegationem, vel restitutionem in specie assignat. De hoc quædam ap.* Becanum c. l. c. 7. *vide. Respectu materiæ, circa quam versatur, etiam vi inhabilitandi personas, rescindendi contractus & juramenta, æstimandi res & pretia assignandi, privilegia tollendi & revocandi est prædita. Quæ persequentem eundem* c. l. c. 6. q. 9. 10. *vide.* Interpretatio, *quæ est commoda legis scriptæ explicatio, & ad casus speciales applicatio. Estq́;* vel simplex, *cum tantùm mens legis explicatur in casu particulari, quam reverâ habet:* Vel per æquitatem & correctiva, *cum mens legislatoris explicatur, quam habuisset in casu particulari, si illum dijudicasset. Dicitur & æquitas,* ἐπιείκεια, *cum juris litteram servare nimis injurium videtur. Differt à lege non toto genere, sed ut moderamen, exceptio & appendix legis, ad sensum benè applicandum conducens. Præstantius quid ipsâ lege dicitur* Aristoteli 5. Nicom. c. 14. *quâ emendativum præstantius est eo, quod emendatur: & ex non emendato periculum metuendum est. Oportet enim, si quid obscurius in legibus est,* interpretatione nostrâ patefieri, duritiamq́ue legum nostræ humanitati incongruam emendari, *ut Imperator loquitur* l. 1. Codic. t. 14 §. 9. *Interpretatio hæc* vel est restrictiva vel extensiva. Restrictiva, *cum verba legis plus inferre videntur, quàm legislator voluit. Sic lex de Sabbatho sanctificando absolutè posita videtur. Restringenda tamen est, ut casus summæ necessitatis excipiatur, ut liceat se Sabbatho*

 con-

contra hostes invasores defendere, ut Maccabæi, 1.Macc.2. v. 41. *aut hominem ægrotum sanare, ut Christus.* Matt: 12. *aut panes sacerdotibus tantùm debitos in fame comedere, ut David, â Christo excusatus.* Matt:12. *Sed in his casibus magis* simplex *est* interpretatio, *quàm correctio. Hæc enim in lege humanâ locum habet, non divinâ. Sic lex generalis videtur,* Matt. 5. *Ne resistatis malo: Explicandam tamen & restringendam apparet ad leviores injurias, ut alapam sufferendam, iter occupandum, pallium deserendum.* v. 39. 40. *Et ultionem privatam, ad quam Pharisæi legem* Exod. 21. v. 24. *extenderant. Sic generale est: Depositum est reddendum reposcenti. Ex æquitate tamen restringendum, ne furioso arma reposcenti reddantur, ne alios lædat, & salutem publicam turbet.* Extensiva, *cum verba legis minus inferre videntur, quàm legislator intendit. Sic si verba legis de certo casu disponant, ratio autem apposita sit generalis, apparet, legem ad omnes similes casus extendendam esse. Sic non licet uxori, liberis, servis, sine consensu patris & heri votum facere, quia non sunt sui juris, sed alieni.* Num.30.v.4.5.6. *Hic rectè extensio ad similem casum additur, Et nec juramentum præstare, nec matrimoniũ inire sine tali consensu posse colliguntur. Sic* Levit. 18. v. 14. *prohibetur concubitus cum uxore patrui, quia sit propinqua carnis: Ex istâ ratione ad similem casum colligitur, nec cum uxore avunculi concumbendum, quia pari gradu adgnationis maternæ distat hæc, quo in paternâ illa. Interdum extensio illa legis ex partibus antecedentibus aut consequentibus, interdum ex aliâ lege priore cum hac collatâ, interdum ex casu opposito, interdum ex consequente prohibito ad antecedens prohibitum colligendo, est colligenda.* Oppositum *hujus interpretationis est* ἀκριβοδικαιον, summum jus, *de quo dici solet: summum jus summa injuria.* Allzuscharff macht scharten.

Summitatem pro rigiditate sumendo, non excellentiâ aut dignitate: quando nimis rigidè littera legis observatur, & in applicando potiùs injuria, quàm justitia committitur: Et sycophantia *seu illusio, quâ callidè sensus legis eluditur, & in alienum, extendendo vel restringendo, illicitè detorquetur.*

24. *Ita* affectiones *legum visæ: Videnda sunt ejus* cognata & opposita. Cognatum *legis est* censura, *sedula morum animadversio, corrigens ea, quæ nondum scriptâ lege sunt comprehensa, aut judicio publico subjecta. Eam diligentissimè exercuerunt Romani, & prudentissimis justissimisq; hominib⁹ exercendam delegârunt. De eâ plura* Köningus d. 10. Pol. Amiratus l. 11. diss. Pol. dis. 2. Bodinus l. 6. d. Rep. c. 1. Lipsius de Vet. mag. Rom. c. 18. Dempsterus l. 7. ant. Rom. c. 10. *aliiq; habent.* Opposita *legum sunt primaria & secundaria.* Primaria, *illegalitas & legum abrogatio.* Secundaria *suspensio & dispensatio.* Illegalitas *est universarum legum contemptus, & vitæ ad proprium arbitrium exactio. Affinis est injustitiæ Vniversali, de qua* c. 27. *agetur.* Abrogatio *est efficaciæ obligatoriæ in lege sublatio. Estq;* vel *partialis, cum pars legis abrogatur, pars servatur, dicitur etiam derogatio:* vel *totalis, cum universa lex in obligatione tollitur, & nihil servatur. Dicitur simpliciter abrogatio. Hæc* vel *licita est, cum causa abrogandi est sufficiens & rationabilis. Vt cum coelibatus prohibetur, si Respub. viris per bellum sit exhausta: Vbi illis instructa iterum est, tollitur prohibitio:* Vel *illicita, cum causa abrogandi est irrationabilis. Vt cum impii legem moralem abrogatam cupiunt, ut suo tantùm arbitrio vivere liceat: Cum luxuriosi leges vestiarias & sumptuarias abrogatas cupiunt, ut ad suam luxuriam vitam agere liceat.* Suspensio *est obligationis legalis ad tempus inhibitio, ut in futurum iterùm valeat. Sic cum prohibetur vallum scandere, sed tem-*

tempore belli publici illa lex suspenditur, nec vigere debere, nisi patrato bello, asseritur. Dispensatio *est obligationis legalis in particulari relaxatio, in casu tali, ratione cujus obligatio aliàs locum habet. Hæc in lege positivâ & humanâ locum habet â superiori, nam ejus est relaxare, cujus est ligare: in lege morali & naturali propriè â nullo, nec homine, nec D E O, dispensari potest.* Non homine, *quia nō est superior lege morali, sed inferior: Non DEO, nā decreta divina sunt immutabilia, Deus n. est immutabilis & essendo, & agendo, & decernendo, ut alibi probavi,* dec. 1. d. 6. *Lex autem naturalis & moralis est decretum divinum, æternæ & immutabilis veritatis. Et approbaret aliàs Deus aliquid intrinsecè malum ac turpe, nam quod contra jus morale & naturæ, formaliter malum ac turpe est, nec fieri potest bonum, quamdiu circumstantiæ manent, sub quibus est malum. Sed hoc contra justitiam, bonitatem, & sanctitatem Dei est.* Impropriè *Deus dispensare hic potest, i. e. excipere aliquid â lege, ut in tali casu lex obligare non debeat, & materiam quandam ac circumstantiam tollere, sub quâ lex aliàs obligabat. Sic jubebat Abrahamum filium suum interficere, & fratrem in casu carentiæ hæredum fratriam suam in uxorem ducere, quæ aliàs illicita erant, nisi sub hac circumstantiâ essent, ut in tali casu, autoritate Dei interveniente, legem obligare non debere intelligeretur.* V. d. 2. t. 14. *Sic potest vox â regulâ excipi, non quòd sub regulâ contineatur, & dispensatione ab valore regulæ absolvatur: sed quòd per illam exceptionē ad regulam non pertinere, verum ab illâ immunem esse intelligatur. Plura de dispensatione ap.* Thomam 1. sec. q. 100. a. 8. Valentiam T. 2. d. 7. q. 4. p. 6. & q. 5. p. 9. Becanum c. l. c. 6. q. 13. Molinam. d. just. & jure to. 6. tr. 3. d. 57. Lessium l. 2. d. just. & jure c. 40. n. 112. seq. D. Meisnerum l. 3. d. leg. q. 10. & p. 3. Ph. sob. s. 2. c.

4. q. 11. D. Brochmand. L. C. d. leg. c. 4. q. 6. Couarruviam T. 1. Var. res. par. 2. d. matrim. §. 9. *aliosq; legas.*

25. *Sic* effectum *justitiæ universalis, jus & lex tractatum, quantum ad Ethicam disciplinam pertineat. Specialiora ad Politicam, Theologiam, & Jurisprudentiã pertinent. Et hactenus etiam* absolutè *in se Justitia Universalis tractata: Restat tractanda* respectivè, *ratione diversitatis & oppositionis.* Diversitas *est, quà distinctio ejus â Virtute morali in genere, â prudentiâ, â justitiâ particulari, â virtutibus homileticis, â pietate in patriam assignatur, quomodo ab istis omnibus distinguatur.* A virtute morali in genere *differt* ratione & *formalitate, non totâ essentiæ realitate. Virtus ex se principaliter perfectionem proprÿ subjecti respicit: consequenter tamen & ad bonum publicũ tendit, ut & boni communis gratiâ munus cujusq; virtutis explicetur. Quod patet* & ex *naturâ hominis, qui, quà talis, sociale animal est, & tùm vere felicẽ se censet, cum in commodâ societate vivit:* & ex *naturâ quarundã virtutum, quæ principaliter pro communi bono servando exercentur, ut fortitudo bellica, magnanimitas, magnificentia:* & ex *naturâ virtutum homileticarum, quæ primariò societatem & conversationem humanam respiciunt, intra quam exerceri ab virtuoso debent:* Et ex eo, *quòd qui honestatis gratiâ virtutes exercet, per se & ex suâ naturâ non possit vel leges de virtutibus latas contemnere, quas ipse agnoscit salutares, ut qui res illis præceptas observat: vel Magistratum odisse, verum legum custodem & executorem. Quicquid per accidens contingat. Vt cum quis per ambitionem aut privatam simultatem magistratum contemnit: Inde non sequitur, quòd leges, quas ipse salutares judicat, & quarum præcepta servat, abrogatas cupere possit. Jam justitia Vniversalis principaliter ad bonum commune tendit: secundariò ad propriam cujusq; perfectionem.*

 Ita

Ita & virtutis moralis & justitiæ universalis una quà rem est essentia, intentione primariâ & secundariâ differunt. Sed quæ intentionibus saltem differunt, cætera in formis & essentijs conveniunt, totâ specie & essentiæ realitate differre non possunt. Universa virtus *consideratur sub honestate & perfectione subjecti proprij:* Universa justitia *sub honestatis ab publicum usum fructumq; applicatione & justâ exercitatione. Universa virtus est velut* κλῆσις, ἕξις *&* ἁπλῶς *in suo subjecto perfectivè se habens: Vniversa justitia velut* χρῆσις, πρᾶξις, *&* πρὸς ἕτερον *perfectivè se habens: Vt non solùm proprium subjectum perficiatur, sed & erga alia per omnes virtutes decorè quis competenterq; se gerat. Virtus est habitus nudus & absolutus: justitia est habitus in justissimo usu ad alios exercitus. Illa honestum facit: hæc etiam præclarè se cum alijs gerentem facit, cum virtutem foràs progredi facit: nec tantùm possessorem honestum reddit, sed & fructum insignem â virtute ad totam Rempub. redundare facit. Nuda virtus bonum pro se facit: justitia Vniversalis, ut etiam bonitate suâ alijs & Reipublicæ quis prosit. Id apertè ex ejus opposito,* injustitiâ Universali *patet, quæ est universalis omnium legum & virtutum erga alium violatio, & injuriarum quarumvis illatio. Et potest discrimen inter Virtutem & justitiam exemplo* legis & præcepti *illustrari. Vt lex & præceptum quà rem idem sunt, Cum utrumq; virtutis præceptum pro essentiâ habeat:* ratione *distinguuntur, quòd* lex *dicatur, quâ homo in totâ communitate, ut membrum stringitur:* præceptũ, *quà tanquam privatus & sibi solitariè vivens coercetur: Ita justitia & virtus universa reipsâ conveniunt: Vtraq; est habitus moralis ad honesta per servandam mediocritatem inclinans: Ratione differunt, quòd hæc ad honestum inclinet etiam in statu privato, & possessorem tantùm beet: illa in statu sociali & ordine*

ad leges & Rempubl: nec possessorem tantùm perficiat, sed & illos, quibuscum illi conversandum in publicâ societate est. Et ita expressè Aristot. 5. Nicom. c. 3. *Virtutem & justitiam universalem unum idemq; esse docet: in eo tantùm differre, quòd virtus per se sit, justitia ad alterum collativè. Quàm Aristot: mentem esse concedunt* Lessius l. 2. d. just. c. 1. n. 15. & Strevesdorf. d. just. & jur. q. 57. Bachovius in l. 1. inst. t. 1. n. 1. *Essentiam justitiæ quidem diversam à virtute morali esse ait Aristoteles: sed per τὸ εἶναι interdum* rationis esse & *formalem conceptum notat, non semper discrimen essentiale, ut exemplis ostendit* Hornejus l. 3. Eth. c. 11. n. 3. *Vt frustrà sit* Timplerus l. 3. Eth. c. 10. q. 4. *contradictionem in apposito inde implicari metuens.* Oppositum *sentiunt alij, & just: univa:* diversam virtutis speciem *faciunt, etsi vi, officio, & efficaciâ generalis esse queat. Quomodo caritas virtus generalis dicatur, quòd omnes virtutes ad finem suum ordinet, ut interim diversa virtutis species ab alijs dicatur. Vt* Thomas, Molina, Soto, ap. Hornejum 3. Eth. c. 11. n. 3. Valentia T. 3. d. 5. qu. 2. p. 2. Lessius c. l. n. 11. Strevesdorf c. l. & art. 6. *& apud illum* Bannetz, Arragon, Salon, Malderus, Sylvius, *alijq;. De quorum argumentis* Hornejum c. l. *videas, & per discursum videri poterit.*

26. A prudentiâ differt, *quòd prudentia virtutem absolutè & in se dirigat, justitia respectivè & in ordine ad aliū: prudentia mediocritatem dirigat, justitia usurpationem & exercitationem virtutis: prudentia honestum ut honestum respiciat, justitia honestū, ut justè & æquè erga alterum exercendum: Prudentia virtuosum faciat, justitia virtuosè erga alium se gerentem. Prudentia virtutem in accommodatione mediocritatis pro circumstantijs loci, temporis, personarum, dirigat: Justitia virtutem ad obædientiam legum & justam erga alios*

 exer-

exercitationem pro salute publicâ ordinet. A justitiâ particulari *differt, tanquam totum â parte,& latius ab angustiori.* 1. Objecto. *Illa versatur circa objectum speciale, bona externa, ut in illis suum cuiq; attribuatur: hæc circa commune & aggregatum omnium virtutum, ut in omni honesto decorè justeque nos erga alios geramus.* 2. Appellationis diversâ attributione. *Justitia particularis est propriè rigideq; dicta, quæ est inter ita distincta, quorum unum non est pars alterius, nec obligationem ad illud involuit. Inter hæc enim æqualitas & exæquatio propriè & exquisitè dicta esse potest. Unde negatur* inter Creatorem & creaturam, *patrem & filium, herum & servum, rigidam inveniri justitiam, quòd Creatura essentialiter obligetur creatori, herus servo, filius parenti.* Conf. 5. Nicomach. c.6. *Sed universalis est impropriè & per analogiam dicta: Nam privatus benè agens in ordine ad leges publicas est membrum communitatis publicæ, adeoq; illi obligatur: Unde quod confertur in communitatem, etiam in civem conferri dici solet, ut partem communitatis. Perfecta autem æqualitas justitiæ inter obligantem & obligatũ esse nequit, ut quæ inter illos est, qui sibi invicẽ non sunt subjecti, adeoq; ex justitiâ pacisci inter se possunt. Per quod tamen nihil demitur de* præstantiâ just: Univ: *quomodo nec pietatis, fidei, aut caritatis eminentiæ aliquid demitur, quòd virtutes analogicas illas vocemus. Eo ipso enim eminentius quid communi virtute morali esse indicantur.* 3. Opposito. *Illius oppositum est* πλεονεξία *s. rerum externarum inæqualis distributio & commutatio: Hujus* παρανομία *seu totalis omnium legum & honestorũ violatio.* A virtutibus homileticis *differt, quòd illæ particulares sint, & circa particularia objecta occupatæ, e. g. verba, gestus, actus: hæc generalis & circa omnium virtutum objectum indeterminatè occupetur. Illæ conversationem inprimis privatam*

va-

vatorum respiciunt: hæc inprimis societatem publicam & leges publicas. Illæ hominem præcisè perfectum in & per se faciunt: hæc circa alios in publicâ societate perfectè justeq́ue se gerentem. A pietate in patriam *differt, quæ etiam virtutes singulas in bonum publicum ordinat.* 1. Quia *diversa est obligandi ratio in justitiâ vn: ac pietate in patriam.* Justitia *obligat hominem, ut partem ad totum, & membrum societatis ad integrum corpus:* pietas *ut effectum ad causam, ratione communis auxilij, quod patria ad ortum hominis contulit. Sed obligatio partis ad totum, membri ad corpus, est arctior rigidiorquè obligatione effectus ad causam, & in civilibus præfertur huic. Sic v. g. tenetur civis Rempubl. in defensione præferre patri ejusq́ue vitæ, quia illius pars & membrum est, hujus tantùm effectus. Sic Christus maritum patrem & matrem relicturum ait, & adhæsurum uxori suæ.* Matt. 19. v. 5. *Quia familiæ suæ domesticæ pars est, parentum tantùm effectus. At ubi diversa, major minorq́ue est obligatio in virtutibus, ibi ipsas virtutes diversas esse nihil impedit.* 2. Quia *sub aliâ ratione boni publici salutem procurat pietas, quàm justitia Vniversalis.* Pietas *sub eâ, quòd æquum sit, juvare aut prodesse patriæ, Vbi primum cœli haustum imbibimus. Partem enim nostrûm sibi vendicat patria, partem parentes, ut* Cicero *ait* l. 1. offic: §. 22. & 2. d. finib. §. 45. Just. Univ. *sub illâ, quòd æquum sit, legibus publicis de omni virtutum genere præcipientibus præstare obœdientiam.* Pietas *legem etiam innatam, ut vocant, respicit:* Justitia *Vniversalis magis positivas in Repub: latas & receptas.*

27. *Fuit* diversitas *Just: Vniversalis: sequitur* Oppositio, *quâ contraria ejus inquiruntur.* Contrarium *ejus est injustitia Vniversalis, seu paronomia omnium legum honestarum, & virtutum promiscuè violatio, quantum simùl in uno*

subjecto esse potest. Quædam n. vitia sunt destruentis naturæ, *& unum evertit alterum, ita simùl in uno subjecto esse non possunt. Virtutes a. sunt* perficientis naturæ, *& una alteram non perimit, sed perficit, ita & in uno subjecto omnes in universum esse possunt. Sic potest homo & prudens, & justus, & fortis, & temperans, liberalis, urbanus, modestus, concors, verax, humanus, mansuetus &c. simùl esse. Sed nequit aliquis simùl esse audax & timidus, insensatus & intemperans, nimis rigidus & laxus, avarus & prodigus, parcus & profusus, superbus & dejectus, superstitiosus & atheus, crudelis & lentus, &c. quia funesta est vitiorum familia, & unum alteri est exitium. De* effectu *tamen & appetitu omnia vitia in uno subjecto universaliter injusto esse possunt, etsi de facto & actu esse non possint. Potest, qui de facto est audax, prodigus, superbus, crudelis, etiam affectum habere, ut si fieri posset, vellet simùl esse avarus, dejectus, lentus: Ita affectu & voto omnes bonas leges eversas velle potest, etsi de facto id patrare non possit. Injustitiæ Vniversalis* exemplum *est* Lysander, *qui injustè mendacij & doli pretium utilitate æstimabat, de fraudibus repræsensus leoninæ nihil proficienti vulpinam assuendam reponebat, Et pueros talis, Viros juramentis decipiendos esse dicebat.* Erasmus l. 1. apo. in Lysand. §. 60. 61. *Item* Caligula, *qui palàm nihil magis in naturâ suâ se probare dixit, quàm impudentiam, i. e. quidvis agendi audaciam,* Sueton. *in* Calig. §. 29. *Ita & per omne genus vitiorum volutatus fuit. Vt superbiam, mollitiem, timiditatem, libidines, ingratitudinem, rapacitatem, prodigalitatem, crudelitatem, mendacitatem, &c.* V. eundem §. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 37. 38. &c. *Hæc etiam* de justitiâ universâ & legibus *pro Ethicâ materiâ dicta sufficiant.*